Et erunt in carnem unam.

Léctio libri Génesis 2, 18-24

18 Dixit Dóminus Deus:
«Non est bonum esse hóminem solum;
fáciam ei adiutórium símile sui».
19 Formátis ígitur Dóminus Deus de humo
cunctis animántibus agri et univérsis volatílibus cæli,
addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea;
omne enim, quod vocávit Adam ánimæ vivéntis,
ipsum est nomen eius.
20 Appellavítque Adam nomínibus suis
cuncta pécora et univérsa volatília cæli
et omnes béstias agri;
Adæ vero non inveniebátur adiútor símilis eius.
21 Immísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam.
Cumque obdormísset,
tulit unam de costis eius et replévit carnem pro ea;
22 et ædificávit Dóminus Deus costam,
quam túlerat de Adam, in mulíerem
et addúxit eam ad Adam.
23 Dixítque Adam:
«Hæc nunc os ex óssibus meis
et caro de carne mea!
Hæc vocábitur Virágo,
quóniam de viro sumpta est hæc».

24 Quam ob rem relínquet vir patrem suum et matrem
et adhærébit uxóri suæ;
et erunt in carnem unam.

Verbum Dómini.